

to illic major, hic minor est. Insuper signum positi falsi majoris quidem sic erit  $\div$ , minoris autem sic —

Aliás in communi usu hæ notæ  $\div$  & —, plus & minus significant. Verúm ista omnia cujusmodi sint/in subjectis exemplis videamus. Positi igitur vero numero tum majoris tum minoris exemplum proponatur. Positi majoris exemplum sic est.

Si meus socius mihi 30 nummos é suis donet, tum mea summa ad reliquam summam socii dupla futura est: si ipse socio 50 é meis nummis donem, tum mea summa ad reliquam socii summam erit subtripla: utriusque summa quæritur. Pone meam summam esse 100 nummos. Iam si socius mihi 30 é suis nūmis donet, mea summa erit 130, quæ summa est dupla ad reliquam summam socii: reliqua igitur summa socii erit 65. jam veró 65  $\div$  30 sunt 95. integra igitur socii summa est 95. Itaque si socio 50 nummos é 100 meis donem, summa socii erit 145. mea autem reliqua erit 50. Prætereá ut 1 ad 3, sic  $48\frac{1}{3}$  ad 145. Quare  $48\frac{1}{3}$  est summa subtripla ad 145. sed  $48\frac{1}{3} \div 1\frac{2}{3}$  sunt 50, quare inventus 50 cognito homologo  $48\frac{1}{3}$  major est. Ergo inquam ego positus numerus 100 vero numero major erit; ideóque cum suo signo & collatorum differentia/artis causa scribetur sic

$$100 \div 1\frac{2}{3}$$

Cur positus 100 vero numero major sit, causa est, quia híc sublato 50 é 100/ratio reliqui ad summam socii  $\div$  50 major est quám subtripla: reliquus enim major est quám  $48\frac{1}{3}$  ut patuit. At sublato 50 é vero numero/ratio reliqui ad summam socii  $\div$  50 est tantúm subtripla exthesi. Quoniam igitur cæteris paribus, positus ad summam socii  $\div$  50/majorem quám verus

B 2      nume.